

gantem scribit Librum, irridens Mille Annorum Fabulam, & auream atque gemmatam in terris Hierusalem &c. Floruit S. Dionysius, Origenis Discipulus, sæculo Christi Tertio, atque ab Anno cclxvii. usque ad cclxiv. aut cclxv. Cathedram illam tenuit, vir sacra eruditione & eloquentia supra ceteros sui temporis clarissimus. Hic autem tanta vi rationum in Millenarios pugnavit, qui in sua Diocesi succrescebant, ut omnes ab ista opinione abduxerit, & schisma eam ob causam natum, Eusebio teste, sustulerit. Nisi nobis tempus edax invidisset Libros *Casi Presbyteri Romani*, qui S. Dionysio longe antiquior fuit, fortassis & ab illo Millenarium Regnum impugnatum videremus. Is certe, Eusebio teste Lib. III. Cap. 28. Histor. Cerinthum caruit, quod ab illo primum venditata fuerit ejusmodi illusio. Quom tamen liberum adhuc cuicumque foret Millenarium hoc somnium amplecti, non desuere sæculo Christi Quarto, qui suum illi suffragium addidere. Præ ceteris Apollinarius junior, innumera-bilium voluminum Scriptor, sed & non unius hæretici dogmatis dis-feminator, circiter Annum cclxxx. eandem recocxit crambem, Libris editis adversus Dionysium Alexandr. At in Apollinarium hac de causa *Epiphanius* Hæres. lxxvii. §. 26. & *S. Basilius* in Epist. lxxiv. in-furxerunt. *Didymus* quoque Alexandrinus Enarrat. in Epist. I. Petri, *S. Ephraem* in Opusc. cxi. *Nazianzenus* quoque, & *Dionysius*, ut vulgo dicitur, Areopagita in Lib. de Ecclesiast. Hierarch. Chiliastrum som-nia improbarunt. Anathemate insuper percussus fuit ob varios de Christo errores idem Apollinarius a Damaso Papa in Romana Syno-do, uti memoriæ prodidit Sozomenus, Anno cclxxxiii. ut nonnulli putant, sive cclxxxvi. aut cclxxxvii. ut alii arbitrantur. Porro sacrorum Annalium parens Baronius scribit, in eo ipso Concilio damnatum fuisse Chiliastrum errorem, qui propterea deinde evanuit. Et profecto nulla dabitatio est, quin impia Apollinari dogmata de Trinitate & Christo perscripta tunc fuerint. Verum ad Millenarii Regni opinionem quod attinet, eadem sententia illam profligatam fuisse, conjectura quidem doctissimus Cardinalis cen-suit, sed nulla certa monumenta evincunt. Immo illam intactam ad-huc abiisse, sunt quæ mihi persuadent. Nam prælaudatus Hieronymus in eodem Præv. Lib. xviii. in Isaiam, ubi tradidit Judaicum Mil-lenarii Regni commentum disiectum fuisse a Dionysio Alexandrino, hæc addit, *Cui duobus Voluminibus respondit Apollinarius, quem non solum sæc-  
seculæ homines, sed & nostrorum, in hac parte dumtaxat, plurima sequitur  
multitudo, ut præsaga mente jam cernam, quantum in me rabies concitan-  
da sit.* Hæc literis consignabat Hieronymus post Annum Christi ccccxv. Neque enim prius Commentarios in Isaiam elucubrasse potuit, uti Martianeus ostendit. Si Romæ in solemnibus Concilio Millenarius error nigro obelo confixus fuisset, veri minime videtur simile, tot e Ca-tholicis, quom hæc scribebat Hieronymus, ab ipso fovendo nondum fuisse deterritos. In aliis quoque Libris post S. Damasi mortem scri-